



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis

In Quatuor Partes Distributæ

In qua de Incarnatione Verbi & Mysteriis vitæ Christi, nec non de Sacramentis in genere & singulis in specie succinctè & dilucidè tractatur

Herincx, Wilhelm

Antverpiæ, 1675

Qu. VI. Qualis Dispositio requiratur ex parte animæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72963](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72963)

QUESTIO VI.

Qualis dispositio requiratur ex parte anima?

IC O I. Ad sumptionem hujus Sacramenti requiritur status gratiae. Ita contra Lutheranos tradunt omnes Catholici, & Tridentinum sess. 13. c. 7. & can. 11. Idque probat ex Apostolo 1. ad Cor. 11. Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Unde Chrysostomus homilia 3. in Ep. ad Ephes. ait: Regem quidem nullus ore tuo faciendo adulari: Regem vero calicem animam graveolenti oscularis. Et Clemens Romanus l. 7. constit. Apostolic. c. 27. in fine: Si quis (inquit) sanctus est, accedat: si quis non est, curet, ut fiat per penitentiam. Quae formula paucis verbis mutatis invenitur in omnibus antiquis Riturgiis, in quibus ante communionem fideles praemonebantur his verbis: Sancta sanctis. Quae non tantum esse dicta ad excludendos Catechumenos (ut respondent Haeretici) patet satis ex verbis Clementis, & ex eo quod Catechumeni jam ante exclusi essent ante oblationem sacrificii & consecrationem. Ceteros Patres vide apud Bellarm. l. 4. de Euchar. c. 18. & alios. Ratio est, quod Eucharistia sit Sacramentum vivorum, adeoque supponat vitam animae live statum gratiae.

Ex quo constat statum gratiae esse necessarium etiam ad consequendum Eucharistiae effectum; prout est necessarius in ceteris Sacramentis vivorum, & significat Apostolus loco citato. Nihilominus per accidens potest aliquando conferre primam gratiam, quando quis attritus accederet bona fide existimans se rite dispositum, ut diximus Tract. 11. Disp. IV. Quaest. 1.

Porro peccatum indignae sumptionis Eucharistiae videtur per se loquendo esse gravius omnibus, quae fiunt circa aut contra puras creaturas, vel in usu aliorum Sacramentorum, ut docet D. Thomas, & quidem est eo gravius, quod cum pluribus & gravioribus peccatis acceditur. Quamvis nulli periculosius hoc Sacramentum contingant, ceteris paribus, quam luxuriosi & incestuosi, ut loquitur Paschasius l. De corp. & sang. Christi c. 22. eo quod peccatum illud singulariter puritati hujus Sacramenti adverberetur, & fervorem devotionis impediatur, carni spiritum subjiciendo.

Ad gravitatem hujus peccati pensandam quoque facit, quod ob hoc Deus frequenter graves poenas in praesenti vita intentet. Quae de re exempla refert Cyprianus Serm. de Lapsis & alii. Ipseque Apostolus 1. ad Cor. 11. idem testatur dicens: Ideo, id est, ob peccatum indignae sumptionis, inter vos

multi infirmi & imbecilles, per morbos scilicet corporales, & dormiunt multi, id est, praetereunt moriuntur seu mortui sunt; ut Patres & Expositores interpretantur.

Dico II. Conscientia peccati mortalis tenetur Communioni praemittere Confessionem sacramentalem, quando fieri potest. Patet ex Tridentino sess. 13. c. 7. Communicare volenti (inquit) revocandum est in memoriam ejus praecipuum: Probet se ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscientia peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali Confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Idem reperit can. 11. In eadem veritate unanimiter conveniunt Doctores. Excepto scilicet Caetano; cujus Commentarius jussu Pii V. est expunctus. Neque enim Tridentinum imponit recens praecipuum, sed praexistens potius declarat & confirmat. Congruentiam assignat Scotus dist. 9. n. 3. quia non tantum debet reconciliari Deo, sed etiam Ecclesiae, ut quis dignè recipiat Sacramentum Ecclesiae unitatis.

Advertendum tamen doctrinam contrariam non fuisse à Tridentino haereticis damnatam, Unde plerique (teste Palavicino l. 12. Hist. Trid. c. 2. n. 12.) arbitrati sunt antecedentem confessionem ita esse necessariam, ut tamen opinio contraria notam haereticam haud acciperet. Ideoque can. 11. non dicitur anathema juxta morem solitum; sed: Si quis autem contrarium docere, predicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice dispiciendo defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

Porro praecipuum hoc non est juris naturalis: quandoquidem ex jure naturae sufficeret status gratiae, qui per contritionem potest obtineri. Doctores tamen magis communiter existimant esse juris divini, illudque ad Ecclesiam tantum declarari. Quare Ecclesia numquam in hoc praecipuo legitur dispensasse in circumstantiis, in quibus revera obligabat. Apostolus etiam dicendo: Probet se ipsum homo, non tam praecipuum statuit, quam statutum à Christo promulgat; ut univ. saliter praemitteret dicens: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Maxime, quia alioquin solum tulisset praecipuum Corinthiis, quibus scribebat; cum tamen Ecclesia in illis verbis agnoscat praecipuum universale, utique à Christo traditum, & à Paulo promulgatum.

Non est tamen improbable (inquit Lessius q. 80. a. 4. dub. 1.) hoc praecipuum esse dumtaxat Apostolicum, sicut praecipuum de Eucharistia à jejunio sumenda: quod tenet Navarrus de Penitentia dist. 5. in principio, Joannes Medina Cod. de Confessione & multi alii. Conineq. q. 8. a. 4. dub. 1. in fine censet utramque sententiam esse satis probabilem, neutram verò habere rationes convincentes.

71. Conscientia peccati mortalis tenetur praemittere Confessionem.

Esti non sit definitum, tanquam articulus fidei.

72. Juxta communem sententiam ex praecipuo positivo Christi.

73. Quamvis non sit in se probabile, tenet Navarrus de Penitentia dist. 5. in principio, Joannes Medina Cod. de Confessione & multi alii.



Fayet huic secundae opinioni, partim quod non satis ostendatur lex divina, adeoque non videatur afferenda: partim quod Præsbyteri Græci, ab antiquo non soleant confessionem præmittere celebrationi Missæ potius, quam ministerio aliorum Sacramentorum. De quo Ecclesia Latina nunquam eos legitur reprehendisse. Immo cum in Concilio Florentino desuper fuissent interrogati ab Eugenio IV. Episcopus Mitilinaensis legitime satisfecisse dicitur in fine Concilii.

Quod sua
dicitur.

74.
Verba Tri-
dentini dis-
cuntur.

Præterea dum Tridentinum supra dicitur revocandum esse in memoriam ejus præceptum; ly ejus non refertur ad Christum, sed ad ipsum Apostolum, ut docet contextus. Neque is solum tradit ibi quæ acceperat à Domino, sed etiam nonnulla ipse disponit, alia adhuc reservans, cum ait: *Cetera autem, cum venero, disponam.* Tradit itaque accepta à Domino, ea scilicet quæ Sacramenti institutionem concernunt. Quæ namque modum seu ritum suscipiendi concernunt, potius Ecclesiæ suæ Dominus reliquit, ut inductione declarari posset. Nihilominus præceptum istud universa Ecclesia, scilicet Latina saltem, acceptavit. Potuit etiam Apostolus Paulus, vel alii Apostoli, pollentes potestate universali, veluti legati Dei extraordinarii, præceptum hoc aliis Ecclesiis præscripsisse. Quod saltem subesse Ecclesiastica consuetudo declarat. Non ita tamen declarat, quin illud ipsum Ecclesia quoque statuat & decernat. Unde *Trid. suprà* subjungit: *Quod à Christianis omnibus . . . hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit.* Et *can. 11.* ait: *Statuit atque declarat ipsa sancta Synodus . . . necessariò præmittendam esse Confessionem sacramentalem.* Quod denique Ecclesia nunquam legatur dispensasse, parum urget, eò quod non sit seu non occurrat dispensandi occasio, sed dum subest necessitas, præceptum cesset per se. Deinde quo casu, quam ob causam recurreret quis in materia adeò secreta, ad Pontificem v. g. pro dispensatione?

Hinc satis apparet sententiam priorem, hodie communiter receptam, ex hæcenus ab Ecclesia declaratis non satis patere: quæ proinde solum intra terminos opinionis probabilioris continetur, juxta Doctores passim; ipsumque *Arriaga d. 46. n. 10. et n. 8.* eam vocet veritatem, & in nota marginali appelletur certa.

Petes, An qui post Confessionem sacramentalem rite factam recordatur alicujus peccati mortalis per oblivionem omitti, teneatur per se loquendo seu regulariter illud confiteri priusquam communicet? Resp. Affirm. eò quod hoc præceptum sic declarat communis sensus Theologorum, & consuetudo fidelium. Consonat etiam *Tridentinum sup. c. 7.* universaliter procedens: *Nullus (inquit) sibi conscius peccati mortalis, scilicet non confessi, quantumvis sibi contritus videatur,*

75.
An peccatum
obliti
in confes-
sione jam rite
instituta,
teneatur
quis confi-
teri ante
Communi-
cationem?
Resp. Affirm.
maur.

adeoque etiam si peccatum coram Deo commissum sit, absque præmissis sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Alias quoque possent tales non solum primà vice, sed toties, quoties volunt, sine prævia confessione communicare, donec nempe incidant in novum mortale: hoc autem plane repugnat communi sensui fidelium.

Dices: *Tridentinum* agit de confesio peccati mortalis post ultimam confessionem commissi seu ne quidem indirectè absoluti, quem vult non posse communicare sine prævia confessione, ne tantum Sacramentum vulgè, atque ideo in novum & condemnatum sumatur, ut loquitur *can. 11.* adeoque ob majorem securitatem status gratiæ, quæ habetur æqualiter per directam & per indirectam absolutionem, quæque manet usque ad commissionem novi peccati mortalis. Resp. Ecclesiam sive potius Christum potuisse quidem præceptum hoc modo deducisse, idque consonè ad finem ipsius præcepti: juxta tenorem tamen ejusdem & communissimum intellectum, an plus de facto exegisse, uti sanè exigere potuit, scilicet, quod communioni præmitteretur confessio toties quoties subest materiæ necessarii confessionis, qualis est peccatum mortale non indirectè absolutum: cui subiectus, verè conscius sibi est peccati mortalis, & obligatus lege Confessionis, implenda utique ante Communionem. Secluso equidem sensu communi, non video, quid efficaciter oppositam doctrinam falsitatis convincat: quam docuisse quosdam Recentiores scilicet *Kellisonus q. 80. a. 5. dub. 2.* & tamquam probabilem admittit *Petrus Corneio*, apud *Arriaga q. 8. sect. 6.* Denique *Art. 29. a. disp. 46. sect. 2. subsect. 2.* censet esse valde probabilem iudicio rationi, sive speculativè loquendo esse probabilem, concludens tamen standum esse communi: quam alii tamquam certam seu sine oppositæ probabilitate tractant. Ego verò non censo censurandum, quod non censurat S. Mater Ecclesia.

Hoc equidem addendum communi doctrinæ, quod in casu, quo sic indirectè absolute solutus non posset iterum confiteri ante Communionem, non sit quoque obligatus eliciendi contritionem de eo peccato, quod jam supponitur remissum, ne per contritionem & ret subiectum clavibus Ecclesiæ. Unde Sacerdos, qui sacro inchoato recordatur peccati in confessione obliti, sed indirectè absolute non tenetur conteri, sed potest pergere, dum non potest confiteri: si vero recordatur peccati post confessionem commissi, tenetur indubiè in casu simili conteri; consuetò quidem statim, necessariò autem ante consecrationem. Quod si demum recordetur consecratione peractâ, tenetur saltem conteri ante sumptionem. Ad alia verò ceremonialia Missæ non adeò requiritur status gratiæ.

Dixi in Conclusione præmittendam esse Confessionem sacramentalem quando fieri potest: si enim sit communicandi necessitas, & desit copia Confessarii, potest accedi ad Communionem cum sola contritione, ut patet ex *Trid. supra*, & consuetudine Ecclesiæ.

Necessitas communicandi censetur esse primò in articulo mortis, quando quis aliquid esset dicessurus sine Viatico. Secundò, quando Sacerdos detur ex officio celebrare, nec potest hoc facere per alium. Similiter quando opus est celebratione ad consecrandam hostiam pro Communionem moribundi, sive Sacerdos teneatur ratione officii, sive non. Tertio, quando sine scandalo aut infamiâ non potest celebratio aut Communiõ omitti; ut si Sacerdos incepisset publicè se vestire, vel si laicus accessisset ad scamnum communicantium, nec posset absque nota recedere. Secus est, si tantum detur occasio cuiusdam admirationis. Vide *Scotum dist. 9. q. un. n. 3.* ubi addit aliud exemplum, quando scilicet consuetudo est in aliqua Religione vel Ecclesiâ, ut omnes non Sacerdotes pariter publicè communicent: tunc enim si quis cum debet communicare, non habet idoneum Confessorem ad manum (quod facilius in Monialibus inclusis contingere posset: circa quas tamen oporteret diligentius curare, ut à frequentioribus Communionibus liceat, nunc his, nunc illis, absque graviore nota abstinere) potest juxta *Scotum* non confessus communicare, non obstante remorsu peccati tunc incidentis, de quo tamen sit contritus aut indirectè absolutus; scilicet ad vitandum scandalum sive infamiam. Quarto, quando Sacerdos Missâ inchoatâ recordatur peccati mortalis non confessi, vel etiam mortaliter peccat, non tenetur Missam inchoatam relinquere, nec Confessarium ad se vocare, etiamsi posset sine nota, si tantum recordetur, aut peccet post consecrationem, juxta *Suarez, Coninck, Præpositum* & plures alios: eò quòd nimis indecens sit sacrificium post consecrationem interrompere. Idem docet *Sotus, Henriquez* & alii, & probabile censet *Diana*, etsi Missa tantum sit inchoata, vel statim post introitum. Et quidem plerumque contingit, non posse convenienter confiteri Sacerdotem ex quo accessit ad altare. Interdum tamen posset esse opportunitas sine nota confitendi. Nec tunc video causam excusantem: quantumvis (quod non est natum fieri) oportunitas solum contingeret jam factâ consecratione.

Idem in similibus casibus locum habet in Laico, quod nimirum conficius peccati mortalis possit in illis communicare, elicita saltem contritione.

Quòd si non sit aliqua necessitas, sed tantum singularis devotio ad communi-

candum, vel celebritas festi, vel indulgentia, non est licitum communicare sine prævia Confessione: quia *Tridentinum* requirit necessitatem, Et meritò: quia obligatio juris, præsertim divini, vel adeò notabilis, non tam facile cessat.

Unde etiam conscio peccati mortalis verosimilius non est licitum celebrare aut communicare sine prævia confessione ad præceptum annuæ Communionis implendum: quia talis nullam patitur necessitatem, cum obligatio annuæ Communionis cesset eò concursum præcepti divini incompossibilis. Ita *Præpositus, Suarez* & plures alii: quamvis non pauci aliter censeant.

Ob eandem rationem non potest ejusmodi Sacerdos celebrare, nisi ratione officii obligetur, ut ipse aut alius audiat Sacrum in die festo, juxta Doctores communis: etsi contrarium non sit improbable, præsertim si Sacerdos alioquin diebus festis diu maneret sine Sacro, vel similiter notabilis multitudo populi careret Sacro in die festo. Facilius autem contrarium hujus & præcedentis Corollarii sustineretur, dicendo cum Variis Confessionem ex solo Ecclesiæ præcepto esse præmittendam Communioni.

Censetur porro non adesse copia Confessarii (quod etiam *Tridentinum* requirit) primò, quando absolute deest, qui posset Confessionem audire. Secundò, quando nullus adest, cui posset penitens confiteri sine interprete. Tertio, quando non potest confiteri Confessario præsentem sine gravi periculo infamiæ, damni, pertractionis ad peccatum, revelationis peccati confessi &c. tunc enim si aliquid horum habeat locum respectu omnium mortalium, censetur absolute deesse Confessarius; si verò solum habeat locum respectu unius vel alterius, tenetur illis omnis confiteri cetera, respectu quorum non censetur Confessarius deesse. Ita communiter Doctores. Quid autem faciendum sit Sacerdoti habenti casum reservatum, si non adsit Confessarius habens potestatem super reservata, & tamen sit necessitas celebrandi, dicitur in *Tract. de Sacramento Penitentia*.

Quantum verò debeat Confessarius distare, ut censetur abesse, non potest certâ regulâ definiri, sed pendet à prudenti judicio. Generatim solum dici potest, eum censeri abesse, quando ob infirmitatem, difficultatem itineris, brevitatem temporis, præsentiam aliorum, urgentia negotia &c. sine gravi incommodo hic & nunc adiri non potest. Ita *Coninck, Suarez, Vasquez* & alii passim.

Subjungit autem *Tridentinum* supra pro Sacerdotibus, ne facile ac indiscretè necessitatem prætexant, ut à confessione se exemptant, ut nihilominus mox confessionem suppleant, dicens: Quòd si necessitate urgente

fat singularis devotio erga Communionem.

An excuset præceptum annuæ Communionis.

An obligatio audiendi missam die festo.

80. *Quando censetur deesse copia Confessarii.*

81. *Explicatur præceptum Ecclesiæ cum quodam primium Sacer-*

Confitendi
postea.

Sacerdos absque prævía confessione celebraverit, quamvisimum confiteatur. Ubi proinde fertur rigidum præceptum; prout censent Doctores, & ab initio recepit ac intellexit Ecclesia; etsi contrarium existimasse referantur Ledesma & Villalobos, & novissime id fuscè propugnet Thomas Tamburinus in *Methodo expeditæ Communionis* cap. 1. §. 6. n. 49. & seqq. Quorum doctrinam velut ad minus scandalosam damnavit Alexander VII. vetans eam doceri sub pœna excommunicationis lætæ sententiæ Pontifici reservata, aut ad praxim deduci. Cùm autem præceptum hoc quamprimùm confitendi, non sit naturale vel divinum, sed solum *Tridentini*; ideo non obligat ubi *Tridentinum* non est receptum. Similiter non obligat Laicos, aut etiam Sacerdotes laicaliter communicantes; quia solum loquitur de celebrantibus. Neque etiam obligat eos, qui immemores suorum mortalium, aut qui sine urgente necessitate celebraverint; juxta Doctores passim: quia *Tridentinum* loquitur de consciis suorum peccatorum, & celebrantibus ob urgentem necessitatem. Similiter nec obligantur, qui recordantur Sacro peracto: immo vix profimilius nec illi qui recordantur post consecrationem, etiam ante Communionem, & (quod amplius est) etsi recordentur Sacro tantum incepto, ut probabiliter Varii docent contra Saarez & alios: nam *Tridentinum* satis potest intelligi de Sacerdote, qui conscius peccati mortalis, nempe ante Missam, celebrat, sive celebrare incipit, totamque actionem Missæ exercet sine prævía confessione. Et consonat scopus Concilii, quod voluit arctare Sacerdotes nimis facile præsumentes sine Confessione celebrare, prætextu necessitatis & defectus Confessarij, eis præcipiendo, ut postea statim suppleant: quæ præsumptio non habet locum, nisi Sacerdos sit conscius peccati ante missam inchoatam.

Quòd verò *Tridentinum* suprà statuit: *Quam primùm confiteatur* seu (ut *Regula Missalis* exprimit) *debet cum primùm potuit confiteri*, id Aliqui (quorum doctrinam ad minus tamquam Scandalosam damnavit Alexander VII, ut suprà) explicarunt in sensu apertè enervante vim præcepti, scilicet quòd debeat confiteri suo tempore, puta antequam postea celebret, etsi post menses. Alii è contra id intelligunt in toto rigore, quasi statim post missam debeat, si possit commode, confiteri. Communiùs autem explicant ceteri, ut quàm primùm censeatur fieri, si intrà triduum: quàmvis si hodie v. g. se offerat occasio, nec putetur ad futura diebus sequentibus, potius sit præveniendâ facies Domini in Confessione sacramentali.

82.
In sumptione
Eucharistia re-

DICO III. Requirit hoc Sacramentum in sui susceptione internam animi devotionem: quæ tamen non est necessaria ad gra-

tia habitualis augmentum recipiendum. Prima pars patet ex Patribus, qui summam devotionem in Communione requirunt, & tepidè communicantes reprehendunt. Idem ostendit sensus communis fidelium & conscientia remorsus, quem quislibet sentit ex distracta & tepida Communione. Idem requirit dignitas & reverentia tanti Sacramenti: si enim oratio requiratur attentionem & devotionem; quantò magis hæc familiarior & intimior cum Deo communicatio?

Secunda pars est D. Thomæ q. 79. a. 8. & aliorum communiter contra Casetanum. Probatur: tum quia in aliis Sacramentis ad recipiendam gratiam non requiritur actualis devotio: tum quia alioquin sine illa communicans peccaret mortaliter, ut proponens obicem principali effectui hujus Sacramenti, quod tamen est absurdum, & contra omnium fidelium apprehensionem: tum quia hæc Sacramentum etiam dabatur parvulis, & etiamnum in articulo mortis datur, dum abest periculum irreverentiæ, phreneticis seu usu rationis destitutis, qui tamen sine actuali devotione (cujus non sunt capaces) recipiunt gratiam: aliis enim acciperent Sacramentum cum obice, adeoque cum ejusdem injuriæ ac irreverentiæ.

Nec obstat I. quòd Sacerdos quotidie & Laici frequenter communicantes sine devotione, maximum acquirerent cumulum gratiæ ac nihilominus maneat æquè tepidi & difficiles ad resistendum tentationibus: id enim fit, quia per augmentum charitatis habitualis non excluduntur habitus vitiosi, nec mortificantur passionibus: soli quoque habitus acquiriti facilitant ad bene operandum. Gratiæ verò actuales & inspirationes vi hujus Sacramenti suo tempore conferendæ ad resistendum tentationibus parcius dantur tepidis, & in iis facile impediuntur per sollicitudines sæculares, vel frustrantur effectu ob defectum cooperationis liberi arbitrii. Adde, similes facile præservari à mortalibus; qui effectus est unus ex præcipuis hujus Sacramenti effectibus. Adde insuper hanc objectionem militare contra ipsum Casetanum: cùm erigat vix sit Sacerdos in bono statu celebrans, quin eliciat aliquem pium actum tempore celebrationis Missæ ante Communionem aut (ut ad hominem loquar, qui fatetur sufficere quòd accedat dispositio perseverantibus in stomachi speciebus) communionem jam factâ, curret adhuc argumentum de incredibili augmento gratiarum in quotidie celebrantibus. Addit denique *Aversa* q. 7. sect. 5. devotionem actualem requiri ad percipiendâ auxilia actualia vi hujus Sacramenti conferenda. Quod tamen non probo: cùm dignam susceptionem Sacramentorum comitetur infallibiliter gratia sacramentalis, scilicet gratia habitualis & huic

huic annexum jus ad aliquas gratias actuales sicut patet inductione.

Non obstat II. quod Eucharistia operetur effectum per modum cibi & nutrimenti; cibus quidem seu nutrimentum requirat cooperationem ipsius viventis. Nam similitudo Eucharistiae cum cibo in multis

claudicat, praesertim quantum ad modum nutriendi: cum etiam in parvulis (uti & in ratione destitutis) augetur gratiam sine horum cooperatione, cumque simpliciter dignae susceptioni (cui in anima solum praerogatur vita spiritualis) sit annexa promissio gratiae.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Effectu Eucharistiae.

QUESTIO I.

Quis sit Effectus Eucharistiae?

DICO I. Eucharistia confert augmentum gratiae & charitatis habitualis. Patet tum ex generali doctrina de Sacramentis in communi: tum specialiter ex Florentino in Decreto Eugenii 5. Hujus Sacramenti & Tridentino sess. 13. c. 2. & 3. tum ex Joann. 6. Qui manducat me, vivet propter me: tum ex Patribus passim obviis.

DICO II. Eucharistia venialia delet, & caret mortalia; ut loquitur Innocentius III. de sacro Mystero altaris c. 44. Idem docent omnes Theologi cum aliis Patribus & Tridentino sess. 13. c. 2. ubi eam vocat Antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus praefervemur.

Delet porro venialia dupliciter. Primo juxta D. Thomam q. 79. a. 4. & reliquos Theologos mediatè: quatenus nempe confert actualia gratiae auxilia, per quae excitantur actus charitatis & contritionis, quibus venialia immediatè remittuntur ex opere operantis. Secundo juxta D. Thomam supra, Suarez & plures alios immediatè ex opere operato conferendo remissionem venialium, ad quae amplius non viget in anima affectus; quatenus per modum alimenti spiritualis sumpta, restaurat ruinas quotidianarum defectuum cum proportione ad cibum corporalem. Verius tamen puto etiam sic requiri retractationem, saltem virtutalem, ipsorum venialium remittendorum, conformiter ad dicta usq. 4. de Sacramento. in gen. q. 7. & in Tract. de Gratia disp. 5. q. 7. Non enim videtur Deus offensas etiam leves remittere, nisi ab eis se homo aequaliter avertat seu eas retractet. Hic porro modus delendi venialia est proprius; adeoque non male attribuitur Eucharistiae, cui Auctoritates hunc effectum simpliciter, atque adeo propriè adscribunt. Quare Tridentinum diversa loquendi formula utitur, dum Sacrificio Missae attribuit vim propitiatoriam quoad remissionem peccatorum etiam mortalium; clarè insinuans hunc effectum esse solum mediatum, sive

convenire ei mediante obtentione auxilii seu doni poenitentiae.

Potest verò Eucharistiae convenire delictio immediata culparum venialium interveniente actu de se insufficienti ad illas, saltem omnes delendas. Et facilius, si non requiratur vera illarum retractatio in Eucharistiae sumptione. Aliàs si requiratur retractatio, & quavis sufficiat in justo extra Sacramentum, quae in Sacramento, ad delenda venialia, ad quae se extenderit, quoad culpam, vix appareret in Eucharistia alia venialium delictio, quam vel mediata quoad culpam, vel immediata quoad poenam. Quae tamen difficultas pariter militaret in Extrema-Untione, utique habente vim delendi in justis peccata venialia.

Dices: Si culpae veniales per Eucharistiae sumptionem tollantur, in vanum urgerentur fideles, ut se studeant à venialibus, priusquam communicent, emundare. Resp. Neg. Seq. tum quia suadet quod est securius, tum quia illa expurgatio est dignior dispositio, adeoque conferens ad uberiores gratiam Sacramenti: tum quia suadetur displicentia seu retractatio venialium, qualis, saltem aliqua, requiritur ad ea etiam in Eucharistia tollenda: tum quia Confessio est ad hoc velut magis per se instituta. Alioquin nimis saepe venialia confiteri volentibus Confessarii quandoque ingerunt, et aliis quoque mediis, praesertim Communionem, deleri. Praeterea Confessio ipsa potest delere, tum mortalia tum venialia, etiam cum sola attritione, & tamen rectè suadetur fidelibus contritio, per se seu antecedenter deletiva. Prout etiam detestatio culparum venialium est suadenda inungendo, etsi ipsae per Extremam-Untionem remittantur.

Praeservat autem Eucharistia à mortalibus, quatenus vi illius Deus hominem exterius specialiter protegit, ac etiam interius corroborat per singulare adjutorium, ut vel represso daemone & amotis occasionibus à tentationibus liberet, vel ad eas superandas specialia auxilia & gratias tribuat. Unde

DICO III. Certum est apud omnes Theologos Eucharistiam conferre varia auxilia gratiae actuales.

3. Hic tamen modus habet difficultatem.

4. Cur sua deatur prava expurgatio venialium, si haec per Eucharistiam delentur.

5. Qualiter Eucharistia praeservet à mortalibus.

6. Confert gratias actuales.